



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 22. Montaltus in Papam electus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

§. XXII.

*Montaltus in Papam electus.*Secul. XVI.  
A.C. 1585.

Cum ergo Cardinales ferme omnes Montalto accederent, Cardinalis Decanus eis suas sedes repetere præcepit, ut demum ad suffragiorum scrutationem procederetur, cui priusquam initium daretur, Montaltus Cardinalem sancti Sixti adiens, eidem submissa voce insinuabat, dicens: „rem ita dirige, „ne adoratio præjudicium fiat:„ hoc obsequium Cardinalis præfatus eo libentius præstítit, quo arctiori amicitiae vinculo eidem conjunctus erat, qua propter Farnesius Cardinali Alexandrino sese jungebat, atque ambo Montaltum proponebant, cum ergo hic medianum Cardinalium partem sibi suffragari cerneret, haud amplius de sua eleccióne dubius non exspectato scrutinii exitu fede sua surgebat, atque ad Aulæ medium projecto, cui innitebatur, baculo, erecto corpore tanquam triginta annorum juvenis plantis suis insistebat, qua mutatione omnes Cardinales attoniti, ac obstupefacti se invicem aspicerunt: Decanus vero, qui sancti Sixti, & Alexandrinum Cardinalem electionis factæ poenitere crediderat, alta voce exclamabat: non adeo præcipiti utamur consilio,

*Hist. Eccles. Tom. L.*

T forte

**Sæcul. XVI.** forte in scrutinio error subrepsit: ve  
A.C. 1585. rum Montaltus mox voce imperterrita  
 reposuit: „Non, non, scrutatio valida,  
 „ac legitima est: quo dicto idem Mon-  
 taltus, qui duabus ante horis ægre  
 verbum proferre poterat, jam firma  
 ac sonora voce Hymnum Ambrosia-  
 num intonabat. (")

## §. XXIII.

(\*) Hujus Pontificis electionem, & con-  
 clave descripsérunt plurimi, qui tum erant  
 præsentes, uti Cardinalis Sanctorius Sanseve-  
 rinus, Antonius Maria Gratianus, Alaleonus  
 rituum sacrorum Magister in suo Diario, A-  
 nonymus Vallicellensis in sua MS. relatione,  
 & quidam Conclavista in sua epistola Bono-  
 niā scripta, quæ ibidem in Fratrum Mino-  
 rum Conventualium Bibliotheca aſſervatur:  
 insuper anno 1667. hoc idem conclave typis  
 editum prodiit: verum in nullo ex hisce scri-  
 ptoribus coævis, vel prope coevis fit ulla  
 mentio de hisce fæbulis a Continuatore, ei-  
 que similibus in odium hujus Papæ narratis:  
 unanimi autem voce omnes referunt, Six-  
 tum V. speciali Dei providentia, ac solitis  
 legitimisque viis, atque electionum normis  
 commuuni voto scilicet ex quadraginta duo-  
 bus suffragatoribus a quadraginta, & uno  
 fuisse electum: addit quoque Paulus Alaleo-  
 nus l. c. *Omnes Cardinales ad sua loca redie-*

n,